ANTONINUS FLORENTINUS · IOHANNES CHRYSOSTOMUS (?)
Salzburg, 1477 Seite 59r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8181
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



¶ puelle etiam que a parentibus dimittuntur
videntur excusari non autem euntes ad coreas
vel vidue que manent clause in domo. de
quibus s. c. vij. ab hoc iam dicto

De Quarto precepto scilicet Habeas
in honore parentes .xvj.

Et primo si parentibus non obedi-
uit in licitis et honestis quantumcumque
etiam paruis quod mortale est. secus tamen
si ex negligentia et in rebus non multi pon-
deris ¶ Si non reuerenter se habuit in
alloquendo et assurgendo sed contemnit et lo-
cutus est dure cum eis vel prouocauit eos ad iram
vel supportauit eis ¶ Si non impleuit le-
gata facta ab eis et precipue ad pias cau-
sas sed multum distulit propter incomoditatem
cum tamen posset quod mortale est ¶ Si tempore senec-
tutis vel infirmitatis eorum aut aliis magnis
necessitatibus non prouidit eis cum potuisset quod
mortale est ¶ Si in tractandis eorum negotiis
non fuit fidelis ¶ Si dixit parentibus verba
contumeliosa vel obprobriosa quod est mortale
¶ Si blasphemauit eos viuos aut defunc-
tos quod est mortale ¶ Si verberauit eos
etiam leuiter aut derisit quod est similiter mortale